

BREVIARIUM PROPRIÆ  
DIOECESIS  
ROTENBURGENSIS  
TOMUS ALTER

Die 5 Iunii  
**S. BONIFATII**  
Ep. et Martyris  
II classis  
IN II NOCTURNO  
**Lectio iv**

**B**onifātius, ántea Windridus appellátus, apud Anglos natus est ex eúnte saeculo séptimo, et ab ipsa infāntia mundum aver-sátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum eius pater ánimum sáeculi illécebris permutáre frustra tentáset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplina ómnium virtútum ac sci-entiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignit, ac verbi divini praedicátor assiduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. At-

tamen, regnum Christi adau-gére desiderans, continuo flebat ingéntem multitúdi-nem barbarórum, qui igno-rántiae ténebris immérsi daémoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrészceret, divino númine per lácrimas et oratiónes ex-ploráto, facultátem a monas-terii praepósito obtinuit ad Germánicas oras proficisciendi.

**Lectio v**  
**E**x Anglia duóbus cum só-ciis navem solvens, Dorestádium in Frisiae óppi-dum venit. Cum autem bel-lum gravissimum inter Friso-num regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsis-set, sine fructu Evangelium praedicávit. Quaprópter in

Angliam reversus, ad suum redivit monasterium, cui invitus praeficitur. Post elapsum biénnum, ex consénsu episcopi Vintoniensis, munus abdicávit, et Romam profectus est, ut apostólica auctoritaté ad gentilium conversiónem delegaretur. Cum ad Urbem pervenisset, a Gregório secúndo benigne excipitur, pro Winfrido Bonifátius a Pontifice nominatur. In Germániam diréctus, Thuringiæ Saxoniæque pópolis Christum annuntiavit. Cum interea Radbódus, Frisiae rex ac infestissimus christiáni néminis hostis, occubuisset, Bonifátius ad Frisones rediit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triennium tanto cum fructu Evangelium praedicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo eccelesiæ excitarentur.

### Lectio vi

**A** sancto Willibrórdo ad episcopále munus expeditus, illud detrectávit, ut

prómpтиus infidélium salúti instáret. In Germániam proiectus, plura Hassórum mília a daémonis superstitione avocávit. A Gregório Pontifice Romam evocátus, post insignem fidei professióнем episcopus consecrátur. Exinde ad Germános redux, Hás-siam et Thuringiam ab idolatriæ reliquiis penitus expurgávit. Tanta propter merita Bonifátius a Gregório tertio ad dignitátem archiepiscopálem evehitur, et tertio Romam profectus a Summo Pontifice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Quia insignitus auctoritaté quátuor episcopátus instituit, et várias synodos celebrávit, inter quas concilium Leptinése memorábile est, apud Belgas in Cameracensi dioecési celebrátum, quo quidem tempore ad fidem in Bélgio adaugéndam egregie cóntrahit. A Zacharia Papa creátus Moguntinus archiepiscopus, ipso Pontifice iubente, Pippinum in regem Francórum

unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultraiecténsem ecclésam gubernándam suscepit, primo per Eóbanum, deinde per seipsum, dum ab ecclésia Moguntína absolutus Ultraiécti resédit. Frisónibus ad idolotriám relápsis, Evangelium prædicáre rursus aggréditur, cumque officio pastoráli occuparétur, a bárbaris et impiis homínibus iuxta Bornam flúvium cum Eóbano coepíscopo multis que áliis cruénta cæde peremptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifáti Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petierat, in Fuldénsi monasterio, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus Póntifex Máximus, eius Officium et Missam ad univérsam Eccelesiā exténdit.

IN III NOCTURNO  
Lectio sancti Evangelii  
secúndum Mattháeum  
**Lectio vii Cap. 5, 1-12**

**I**n illo témpore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et réliqua.

Homilia  
sancti Augustini Episcopi  
*Liber 1 de Sermone Domini in  
monte, cap. 2*

**B**eati mundo corde; quóniam ipsi Deum videbunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, eum corde videátur, sicut álibi scriptum est: Et in simplicitáte cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici; quoniam ipsi filii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ideo filii Dei pacífici, quóniam nihil in his resistit Deo, et útique filii similitúdinem patris habére debent.

### Lectio viii

**P**acífi autem in semetip-sis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subiciéntes ratióni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id, quod est in hómine præcipuum et excél-lens, hoc imperet, céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiásque commúnia; atque idipsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subiciátur potíori, quod est ipsa véritas, unigé-nitus Filius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superiòri se ipse subíciat. Et haec est pax, quæ datur in terra homíni-bus bonæ voluntatis; hæc vita consummáti perfectique sapientis.

### Lectio ix

**D**e huiúsmodi regno pa-catissimo et ordinatissi-mo missus est foras princeps

huius sǽculi, qui pervérsis inordinatisque dominátur. Hac pace intrinsecus consti-túta atque firmáta, quascúm-que persecutiónes ille, qui foras missus est, forinsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum De-um est; non áliquid in illo ædificio labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta firmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur: Beáti, qui persecutiómem pa-tiúntur propter iustitiam; quóniam ipsórum est reg-num cælórum.

Te Deum laudamus.

### Oratio

**D**eus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifáttii Mártiris tui atque Pontificis zelo, ad agnitió-nem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propitius; ut, eius sollémnia cólimus, étiam patrocinia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Die 4 Iulii  
S. UDALRICI  
Ep. et Confessoris  
III classis  
AD MATUTINUM  
Bened. Ad societátem.  
*Lectio iii*

**U**dalricus, Alamannus, Hubaldi et Thietburgae filius, puer ad monasterium sancti Galli missus, Deum ad sacerdotium vocantem secutus est. Triginta tres annos natus episcopus praeficitur ecclesiae Augustanae, quam per decem lustra forti manu infractoque animo perturbatissimis temporibus rexit. Divina mysteria summa devotione peregit, opus liturgicum maxima solemnitate persolvit, multasque celebravit synodos. Zelo domus Dei ardens ecclesiam cathedralem Augustanam aliasque dirutas ecclesias restituit novasque exstruxit et monasteria omni fovit opera. Vir Dei pacificus pacem inter Ottonem regem et Liutolfum filium composuit et

contra Hungaros civitatem Augustanam fortiter defendens, illustris illius victoriae in campo Lycensi reportatae partem praecipuam habuit, cum patria salvans fidem. Die quarto mensis Iulii anni nongentesimi septuagesimi tertii pie defunctum Ioannes decimus quintus primum canonico processu Sanctorum fastis adiunxit.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes ¶. Iustum deduxit.*

*Ad Bened. ant. Euge, serve bone.*

**Oratio**

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

*Ad Vesperas ¶. Iustum deduxit.*

*Ad Magnif. ant. Amavit eum.*

Die 8 Iulii  
SS. KILIANI  
ET SOCIORUM  
*Martyrum*

### III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societatem.

### Lectio iii

**K**ilianus, natione Hibernus, nobilibus parentibus oriundus, a pueritia liberalibus studiis est eruditus. Divina eum gratia praeveniente, cunctis mundi illecebribus spretis, monasticam vitam in Hyensi monasterio professus est. In presbyteratum evectus, regiminis monasterii curam suscepit. Sed praesulatu abdicato soloque natali relicto, Herbipolim in orientali Francia cum sociis Colomano et Totnano pervenit, incredulis illius regionis gentibus Evangelium praedicaturus. Gosbertum provinciae ducem cum pluribus aliis ab idolis ad Christi fidem convertit. Uxorem Geilanam, quae antea fratri illius fuerat matrimonio copulata, Gosbertus cohortante Kiliano dimittere spopondit. Quapropter mulier ira incensa Pontificem eiusque so-

cios interfici et infodi iussit. Geilana et duo carnifex facinore peracto a daemone arrepti, vitam miserabiliter finiverunt. Horum Martyrum corpora sanctus Burchardus Herbipolensis episcopus a terra elevavit, et in basilica a se erecta recondidit, anno septingentesimo quinquagesimo secundo.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes ¶. Exsultabunt Sancti.

Ad Bened. ant. Vestri capilli.

### Oratio

**M**agníficet te, Dómine, sanctórum tuórum Kiláni Sociorúmque eius beáta solémnitas: qua et illis glóriam sempitérnam, et opem nobis ineffábili providéntia contulísti. Per Dóminum.

Et fit com. sancti Elisabeth.

Ad Vesperas ¶. Exsultabunt Sancti.

Ad Magnif. ant. Gaudent in coelis.

Die 17 Iulii  
B. IRMENGARDIS

Virginis

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

### Lectio iii

Irmengardis, nobilibus parentibus, rege Ludovico Teutonico et Hemma, nata, iam a teneris annis specimen dedit futurae sanctitatis. Delicias saeculi abhorrens nobilis adolescentula, pompis ac divitiis aulae regiae valedicens, sub regula sancti Benedicti divino servitio in monasterio insulae Chiemensis totam se consecravit. Monasterii facta abbatissa, virtutis exemplo omnibus praelucebat, et in dies plures sibi virgineas sodales sociavit. Arcanam Sponsi caelestis vocem audiens "veni, sponsa" ad caelestes nuptias evolavit decimo sexto mensis Iulii, anno octingentesimo sexagesimo sexto, aetatis suae trigesimo quarto. Cultum ipsi e fideli populo plus quam per undecim saecula exhibitum Pius Papa undecimus Sacrorum Rituum Congregationis decreto ratum habuit et confirmavit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes ¶. Diffusa est.

Ad Bened. ant. Simile est.

### Oratio

Dómine Iesu, qui beátam Irmengárdem, Vírginem tuam, mundi delícias despícere et nómini tuo benedícere fecísti: praesta, quaesumus; ut eius intercessióne ómnibus diébus vitæ nostræ tibi placeámus. Qui vivis et regnas.

Et fit com. sancti Alexii Conf.

Ad Vesperas ¶. Diffusa est

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi.

Die 27 Augusti  
S. GEBHARDI

Episcopi et Confessoris  
III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

### Lectio iii

Gebhardus, hoc nomine secundus, Constantiensis episcopus et comes Brigantinus, ex praeclaro Alemannorum genere procreatus, adolescentiam tanta ani- mi transegit puritate, tan-

tamque apud cives probitatis opinionem adeptus est, ut mortuo Gaminolpho Constantiensi episcopo summa omnium gratulatione in defuncti locum fuerit suffec-  
tus. Castitatem aliasque vir-  
tutes perpetuo dilexit, catho-  
licam fidem et ecclesiasticam  
disciplinam strenue defendit.  
Patrimonio suo peramplo  
pauperibus distributo, mo-  
nasterium Petershausen nun-  
cupatum exstruxit, quod et  
multis praediis attributis lo-  
cupletavit ac muneribus am-  
plissimis exornavit. Tandem,  
cum ecclesiam sibi commis-  
sam sanctissime per sexdecim  
annos administrasset, circa  
annum a virginis partu non-  
gentesimum nonagesimum  
quintum ingenti suorum  
maerore sancto fine quievit.  
Te Deum laudamus.

Ad Laudes **¶**. Iustum deduxit.  
Ad Bened. ant. Euge, serve bone.

### Oratio

**E**xaudi, quas sumus, Do-  
mine, preces nostras,  
quas in beati Gebhardi,

Confessoris tui atque Ponti-  
ficiis, solemnitate deferimus:  
et, qui tibi digne meruit  
famulari, eius interceden-  
tibus meritis, ab omnibus  
nos absolve peccatis. Per  
Dóminum.

**Et fit com. sancti Iosephi Cala-**  
**sanc*ti*ii: Ant. ac versus ex I**  
**Vesperis.**

**Ad Vesperas **¶**. Iustum deduxit.**

**Ad Magnif. ant. Amavit eum.**

Die 6 Septembris

**S. MAGNIS**

**Abbatis**

**III classis**

**AD MATUTINUM**

**Bened. Ad societátem.**

**Lectio iii**

**M**agnus, ex Raetoroma-  
norum gente oriundus, postea Mang vulgo no-  
minatus, adulescens monas-  
terium sancti Galli ingressus,  
sanctorum Columbani et  
Benedicti regulas oboedien-  
tissimus observavit. Precibus  
sancti Wicberti episcopi  
Augustani, cum Tozzone et  
Theodoro Algoviae gentibus  
convertendis operam nava-

vit. In Camboduno oppido adveniens, signo crucis munitus, anguem grandem interfecit, et in eodem loco cellam et sacellum exstruxit, Theodorum comitem relinquens custodem. Ipse cum Tozzone ulterius progressus, in vico vulgo Epfach nominato, a Wicberto episcopo benigne exceptus et benedictione confirmatus, in locum Ross-haupten et tandem ad fauces Alpium pertingens, in loco hodie Füssen nuncupato, alteram cellam ecclesiamque aedificavit. Sacerdotio auctus, religione et opera illius regionis incolas sibi conciliavit, totque ad Christi fidem perduxit, ut Algoviae Apostolus appellari mereretur.

Te Deum laudamus.

**Ad Laudes** ¶. Iustum deduxit.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone.

### Oratio

**I**ntercéssio nos, quaesumus, Dómine, béati Magnis Abbatis comméndet: ut, quod nostris méritis non valéamus, eius patrocínio

assequámur. Per Dóminum.

## Die 17 Septembris S. HILDEGARDIS VIRGINIS

### III classis

#### AD MATUTINUM

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio iii

**H**ildegardis, nobili ex genere de Bermersheim orta, octennis sub regimine beatae Iuttae in montem sancti Disibodi secessit, Monasticam vitam professa et divino velata Sponso, Iuttam defunctam, licet renitens, magistra secuta est. Cum vero claustrum exiguum virgines illuc festinantes vix caperet, montem sancti Ruperti prope Bingam novo ibi exstructo monasterio, Spiritu Sancto urgente, adiit. Quadragesima fere tres annos nata igneo lumine, miro intelligentiae Sacrarumque Scripturarum expositionis dono, prophetiae munere aliisque charismatibus ornata, ea quae viderit et audierit ut scriberet

divinitus monita est. Cuius fama exinde longe lateque diffusa, Pontifices Romani, episcopi non pauci, ipse Imperator Fridericus I, reges, principes, viri sancti et eruditii illius consilium exquirerabant eiusque precibus suaque commendabant. Illa autem cordium secreta perspiciens, neminem nisi consolatum et ad meliora excitatum a se dimittebat, infirmos quoque gratiam nacta curationum sanabat. Divino denique impulsa Spiritu et apostolico zelo aestuans longa atque pernolesta itinera non pauca suscipiebat. Vias Domini intrepide annuntians haereticos mira auctoritate et gratia confutabat. Tot laboribus et aerumnis tandem exusta, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo nono migravit ad Patrem lumen, anno aetatis suae octogesimo secundo.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes **¶**. Diffusa est gratia.

Ad Bened. **ant.** O dignissima

Christi sponsa! Quam lux prophetiae illustravit, zelus apostolicus inflammavit, laurea virginum coronavit, divini amoris incendium consummavit.

### Oratio

**D**eus, qui beatam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, eius vestígii et documéntis insistentes, a præsentis saéculi caligine ad lucem tuam delectabilem transire mereámur. Per Dóminum.

**Et fit com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.**

**Ad Vesperas** **¶**. Diffusa est.

**Ad Magnif. ant.** Subveni nobis, Hildegardis virgo sanctissima, aeterni regis sponsa, in cuius aula splendescis sicut stella fulgentissima.

Die 25 Septembris  
**S. NIKOLAI DE FLÜE**  
**Confessoris**  
**III classis**  
**AD MATUTINUM**  
**Bened.** Ad societatem.

### Lectio iii

**N**icolaus de Flüe, in Helvetiae pago Saxulensi honestis parentibus ortus, singulari innocentia pueriles annos exegit. Ieiuniis et divinis contemplationibus intentus, solitariam vitam summe quidem desideravit, sed suorum voto cedens, matrimonium iniit. Decem liberis procreatis, munere et patris familias et agrorum cultoris egregie functus est. Supremum magistratum, saepius sibi oblatum in patria, constanter recusavit et tandem, relictis omnibus, in vicinum eremum secessit, ubi viginti prope annos in usitata vitae austeritate traduxit et, cibo potuque prorsus abstinens, pane Eucharistico tantum nutritus caelestibusque a Deo Trino visionibus recreatus est. Accedentes ad se salutariter admonuit, exhortans identidem ad Sedis apostolicae clerique observantiam. Foederatos Helvetiae cives, vehementi exporta

dissensione, fortiter simul ac suaviter ad concordiam perduxit. Auctor pacis et patriae pater anno millesimo quadragesimo octogesimo septimo placidissime obiit, quem Pius Papa duodecimus in Sanctorum rettulit numerum.

Te Deum laudamus.

**Ad Laudes ¶.** Iustum deduxit Dominus.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone.

### Oratio

**B**eati Nicolai, Confessoris tui, intercessione suffulti te, Dómine, suppliciter exorámus: ut gentem nostram benigna semper protectione custódias, eiúsque rectóribus grátiæ tuæ lumen cleménter infúndas. Per Dóminum.

**Ad Vesperas ¶.** Iustum deduxit.

**Ad Magnif. ant.** Hic vir despiciens.

Die 12 Octobris

**B. IACOBI  
(GRIESINGER)  
AB ULMA  
Confessoris**

### III classis

#### AD MATUTINUM

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio iii

**I**acobus, Ulmae in Suevia ex honesta familia natus, a patre pie sancteque educatus, in deliciis habebat contiones adire divinisque Officiis interesse. Adulescens, annuentे patre, Romam petiit. In patriam rediens, Bononiam pervenit. Ibi divino consilio motus, Religionis sancti Dominici habitum assumere constituit. Litteris licet mediocriter eruditus esset, tamen ob eximiam suam humilitatem ex eorum numero esse voluit, qui Conversi nuncupantur. In Religione cooptatus, continuo se totum Deo mancipavit, nec quidquam omisit, quod ad verum illius cultorem pertineret. Quapropter mirabile humilitatis, oboedientiae, paupertatis ac patientiae exemplar omnibus est factus. Tandem gravissimis doloribus patienter toleratis, octu-

agenario maior, Ecclesiae Sacramentis piissime suscep-tis, felicem efflavit animam. Cultum Iacobi multis miraculis clarificati indeficientem Leo duodecimus Pontifex Maximus probavit. Denique Pius Papa undecimus benigne indulxit, ut in Dioecesi Rottenburgensi, in cuius territorio locus natalis Beati situs est, eiusdem festum quotannis celebretur.

Te Deum laudamus.

**Ad Laudes ¶.** Iustum deduxit Dominus.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Iacó-bum Confessórem tuum humilitatis et oboediéntiae virtúte mirabíliter deco-rásti: eius intercessióne fac nos terréna despícere et mandátis tuis iúgiter inhaerére. Per Dóminum.

**Ad Vesperas ¶.** Iustum deduxit.

**Ad Magnif. ant.** Hic vir.

Die 14 Octobris  
IN DEDICATIONE  
ECCLESIÆ

I classis  
Omnia de Communi Dedica-  
tionis Ecclesiae.

Die 16 Octobtris

S. GALLI

Abbatis

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societatem.

Lectio iii

**G**allus Abbas, nobilibus apud Scotos natalibus ortus, in Hibernia in monasterio Benchor adolescentulus ingressus, non morum tantum, sed et ingenii laude ac sanctarum Scripturarum scientia usuque floruit. Sacerdotio auctus, Evangelii praedicandi causa abbatem Columbanum secutus in Britanniam indeque Galliam traiecit, ubi Luxoviensem solitudinem incolens complures ad Christi fidem multosque etiam ad monasticam vitam permovit. Postea, nefariae Brunichildis reginae instinctu Luxovio expulsus in Alemannia ad lacum Turicinum primum, deinde

vero apud Brigantium oppidum consedit. Gallus cum idolatriae scelus ubique convelleret, gentilium odia concitavit. Quapropter una cum Magnoaldo et Theodoro monachis eremum ingressus est. In monasterio ibi constructo plures fratres monasticam disciplinam divinarumque Scripturarum intelligentiam docuit et gentes circumpositas fidem Christi sectari instruxit. Corpus suum gravi affecit austeritate. Denique virtutum laude conspicuus exspiravit, discipulis circumstantibus, circa annum Domini sexcentesimum quadragesimum sextum, aetatis suae anno nonagesimo quinto.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes ¶. Iustum deduxit.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone.

Oratio

**I**ntercessio nos, quaesumus,  
Domine, beati Galli Abba-  
tis commendet: ut, quod  
nostris meritis non valemus,

eijs patrocinio assequamur.  
Per Dominum.

**Et fit com. sanctae Hedwigis.**  
**Vesperae de sequenti.**

Die 17 Octobris  
**IN DEDICATIONE**  
**ECCLESIAE**  
**CATHEDRALIS**  
**I classis**

**Omnia de Communi Dedica-**  
**tionis Ecclesiae, praeter ea quae**  
**hic habentur propria.**

**IN I NOCTURNO**  
Pater. **Absol.** Exáudi.  
**Bened.** Benedictione.

De libro Apocalypsis beati  
Ioannis Apostoli.

**Lectio i Cap. 21, 18-20**

**E**t erat structura muri  
eijs ex lapide iaspide;  
ipsa vero civitas  
aurum mundum simile vitro  
mundo. Et fundamenta muri  
civitatis omni lapide pretioso  
ornata. Fundamentum pri-  
mum iaspis, secundum sap-  
phirus, tertium chalcedonius,  
quartum smaragdus, quin-  
tum sardonyx, sextum sar-  
dius, septimum chrysolithus,  
octavum beryllus, nonum

topazius, decimum chryso-  
prasus, undecimum hyacin-  
thus, duodecimum amethystus.

**R.** In dedicatione templi de-  
cantabat populus laudem: \*  
Et in ore eorum dulcis reso-  
nabat sonus. **V.** Fundata est  
domus Domini supra ver-  
ticem montium, et venient  
ad eam omnes gentes. **Et.**

**Bened.** Unigenitus  
**Lectio ii Cap. 21, 21-23**

**E**t duodecim portae duo-  
decim margaritae sunt  
per singulas, et singulae por-  
tae erant ex singulis marga-  
ritis, et platea civitatis aurum  
mundum, tamquam vitrum  
perlucidum. Et templum  
non vidi in ea; Dominus  
enim Deus omnipotens tem-  
plum illius est, et Agnus. Et  
civitas non eget sole neque  
luna, ut luceant in ea; nam  
claritas Dei illuminavit eam,  
et lucerna eius est Agnus.

**R.** Fundata est domus Do-  
mini supra verticem monti-  
um, et exaltata est super om-  
nes colles: \* Et venient ad

eam omnes gentes, et dicent:  
Gloria tibi, Domine. **¶**.  
Venientes autem venient  
cum exsultatione, portantes  
manipulos suos. **Et.**

**Bened.** Spiritus Sancti.

**Lectio iii Cap. 21, 24-27**

**E**t ambulabunt gentes in lumine eius, et reges terrae afferent gloriam suam et honorem in illam. Et portae eius non claudentur per diem; nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquatum aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

**R.** Benedic, Domine, domum istam, quam aedificavi nomini tuo: venientium in loco isto. \* Exaudi preces in excelso solio gloriae tuae. **¶**. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum. **Exaudi** preces. **Gloria Patri. Exaudi** preces.

IN II NOCTURNO  
**Pater.** **Absol.** Ipsius pietas.  
**Bened.** Deus Pater.  
Sermo S. Augustini Episcopi.

**Lectio iv**

**C**elebritas huius con-gregationis, dedica-tio est domus orati-onis. Domus ergo nostrarum orationum ista, domus au-tem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sae-culo aedificamur, ut in fine saeculi dedicemur. Aedifici-um, immo aedificatio habet laborem; dedicatio exulta-tionem. Quod hic fiebat, quando ista surgebant; hoc fit modo, cum congregantur credentes in Christum. Cre-dendo enim, quasi de silvis et montibus ligna et lapides praeciduntur; cum vero ca-techizantur, baptizantur, for-mantur, tamquam inter manus fabrorum et opificum dolantur, collineantur, com-planantur. Verumtamen do-mum Domini non faciunt, nisi quando caritate compa-ginantur.

**R.** Orantibus in loco isto, \*  
Dimitte peccata populi tui,  
Deus, et ostende eis viam  
bonam, per quam ambulent,  
et da gloriam in loco isto. **V.**  
Qui regis Israel, intende, qui  
deducis velut ovem Ioseph,  
qui sedes super Cherubim.  
**Dimitte.**

**Bened.** Christus perpétuae.

### Lectio v

**L**igna ista et lapides si non  
sibi certo ordine cohae-  
rerent, si non se pacifice in-  
necterent, si non se invicem,  
cohaerendo sibi, quodam-  
modo amarent, nemo huc  
intraret. Denique quando  
vides in aliqua fabrica lapides  
et ligna bene sibi cohaerere,  
securus intras, ruinam non  
times. Volens ergo Dominus  
Christus intrare, et in nobis  
habitare, tamquam aedifican-  
do dicebat: Mandatum no-  
vum do vobis, ut vos in-  
vicem diligatis. Mandatum,  
inquit, novum do vobis.  
Veteres enim eratis, domum  
mihi nondum faciebatis, in  
vestra ruina iacebatis. Ergo,

ut eruamini a vestrae ruinae  
vetustate, vos invicem ama-  
te.

**R.** O quam metuendus est  
locus iste: \* Vere non est hic  
aliud nisi domus Dei et porta  
caeli. **V.** Haec est domus  
Domini firmiter aedificata,  
bene fundata est supra  
firmam petram. **Vere.**

**Bened.** Ignem sui amoris.

### Lectio vi

**C**onsideret ergo caritas  
vestra, aedificari adhuc  
istam domum toto, sicut  
praedictum est et promis-  
sum, orbe terrarum. Cum  
enim aedificatur domus post  
captivitatem, sicut habet  
alius Psalmus, dicitur:  
Cantate Domino canticum  
novum: cantate Domino,  
omnis terra. Quod ibi dixit,  
Canticum novum; hoc  
Dominus dixit, Mandatum  
novum. Quid enim habet  
canticum novum, nisi amo-  
rem novum? Cantare aman-  
tis est. Vox huius cantoris,  
fervor est sancti amoris.  
Amemus, gratis amemus;

Dominum enim amamus,  
quo nihil melius invenimus:  
ipsum amemus propter ipsum,  
et nos in ipso, tamen  
propter ipsum.

**R.** Mane surgens Iacob  
erigebat lapidem in titulum,  
fundens oleum desuper, vo-  
tum vovit Domino: \* Vere  
locus iste sanctus est, et ego  
nesciebam. **V.** Cumque evi-  
gilasset Iacob de somno, ait.  
**Vere.** **Gloria Patri.** **Vere.**

IN III NOCTURNO  
Pater. **Absol.** A vínculis.  
**Bened.** Evangélica léctio.

Lectio sancti Evangelii  
secundum Lucam

**Lectio vii Cap. 19, 1-10**  
**I**n illo tempore: Ingressus  
Iesus perambulabat Ieri-  
cho. Et ecce vir nomine  
Zachaeus: et hic princeps  
erat publicanorum, et ipse  
dives. Et reliqua.

Homilia  
sancti Ambrosii Episcopi

**Q**uae autem turba, nisi  
imperitiae confusio  
multitudinis, quae

verticem nequit videre  
sapientiae? Ergo Zachaeus  
quamdiu in turba est, non  
videt Christum; supra tur-  
bam ascendit, et vidi: hoc  
est, plebis iam transgressus  
inscitiam, meruit quem desi-  
derabat, aspicere. Pulchre  
autem addidit: Quia illa  
parte erat transiturus Domi-  
nus: vel ubi sycomorus, vel  
ubi crediturus; ut et mysteri-  
um servaret, et gratiam semi-  
naret. Sic enim venerat, ut  
per Iudeos transiret ad gen-  
tes.

**R.** Domus mea domus orati-  
onis vocabitur, dicit Domi-  
nus: in ea omnis qui petit,  
accipit; et qui quaerit, inve-  
nit. \* Et pulsanti aperietur.  
**V.** Petite, et accipietis; quae-  
rite, et invenietis. **Et.**

**Bened.** Divínum auxílium.

**Lectio viii**

**V**idit itaque Zachaeum  
sursum: Iam enim  
sublimitate fidei inter fructus  
novorum operum, velut  
foecundae altitudine arboris,

eminebat. Et quoniam de typo ad moralia defleximus, inter tot credentium voluptates Dominica die relaxare animum, festivitatem admiscere delectat. Zachaeus in sycomoro, novum videlicet novi temporis pomum, ut in hoc quoque compleretur illud: Arbor fici produxit grossos suos.

℟. Lapidés pretiosi omnes muri tui, \* Et turres Ierusalem gemmis aedificabuntur.

℣. Portae Ierusalem ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius.

**Et. Gloria Patri. Et.**

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio ix

**A**d hoc enim Christus advenit, ut ex lignis non poma, sed homines nascentur. Legimus alibi: Cum esses sub arbore fici, vidi te. Ergo Nathanael sub arbore, hoc est, supra radicem, quia iustus; radix enim sancta. Sub arbore tamen Natha-

nael, quia sub Lege: Zachaeus supra arborem, quia supra Legem. Ille Domini occultus defensor, hic publicus prædicator. Ille adhuc Christum ex Lege quaerebat: iste iam supra Legem relinquebat sua et Dominum sequebatur.

Te Deum laudamus.

### Die 20 Octobris S. WENDELINI Abbatis Commemoratio

**Ad Laudes ant.:** Similábo eum \* viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

### Oratio

**I**ntercéssio nos, quaesumus, Dómine, beáti Wendelíni Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Die 31 Octobris  
S. WOLFGANGI  
Episcopi et Confessoris  
III classis

AD MATUTINUM  
Bened. Ad societatem.

Lectio iii

**W**olfgangus, liber suevigena, cum celebri schola Reichienauensi esset excultus, scholastici et subinde decani Trevirensis strenue fungebatur officio. Monasticam vitam amplecturus, in Einsiedlense coenobium secessit, scholamque dirigere destinatus est. Ibidem et ordine presbyteratus a sancto Udalrico, episcopo Augustano, auctus est, quem paucis annis post, iamiam in episcopatum evectus, exsequiis prosequi debuit. Animarum enim zelo in Pannoniam provectus, brevi revocatus et episcopus Ratisbonensis electus erat, anno salutis nongentesimo septuagesimo secundo. Integerrimi animi vir, posthabito suae ecclesiae commodo, sicut Bohemis

libentissime concessit, ut Pragae proprius institueretur episcopus, ita sancti Emmerami monasterium, restitutis proventibus, ab administratione episcopali seiunxit. Dux Bavariae eum moderatorem constituit filii sui Henrici, qui posterius dia demati imperiali coronam sanctitatis addidit. Pietatis et aequitatis operibus dives, spiritu vaticinationis insignitus, venerabilis praesul, postquam per annos fere viginti duos Ratisbonensem rexerat ecclesiam, migravit ad Dominum.

Te Deum laudamus.

**Ad Laudes** ¶. Iustum deduxit.

**Ad Bened. ant.** Euge, serve bone.

Oratio

**D**eus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quae sumus, ut quem doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Die 11 Novembris

S. MARTINI

Episcopi et Confessoris

Patroni Dioecesis

I classis

Ad I Vespertas

De communi, Antt de Laudibus

Ad Magnif. ant. O beatum virum, cuius anima paradísum possidet! Unde exsultant Angeli, laetantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat: Mane nobíscum in aeternum.

Oratio ppr.

AD MATUTINUM

Invit. et hym. ut in Breviario diei 11. nov.

IN I NOCTURNO

Antt. ppr. et pss. ut in Nocturnum diei 11. nov. (1-3).

¶. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. ¶. Stolam gloriae induit eum.

Pater. **Absol.** Exáudi.

Bened. Benedictione.

Lectiones I-III de Communi Confessoris Ponctificis cum responsoriis propriis ut infra.

Lectio I

¶. Hic, est Martinus, electus Dei Pontifex, cui Dominus post Apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, \* Ut in virtute Trinitatis Deificae mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus. ¶. Sanctae Trinitatis fidem Martinus confessus est. Ut.

Lectio II

¶. Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso subire propter eos laborem: \* Fiat voluntas tua. ¶. Oculis ac manibus in caelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Fiat.

Lectio III

¶. O beatum virum Martini antistitem, \* Qui nec mori timuit, nec vivere recusavit! ¶. Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. Qui. Gloria Patri. Qui.

IN II NOCTURNO

Antt. ppr. et pss. ut in Nocturnum  
diei 11. nov. (4-6).

¶. Elegit eum Dominus  
sacerdotem sibi. R. Ad sacri-  
ficandum ei hostiam laudis.

#### Lectio IV

**M**artinus, Sabariae in Pannonia natus, cum decimum attigisset annum, invitis parentibus ad ecclesiam confugiens, in catechumenorum numerum adscribi voluit. Quindecim annos natus in militiam profectus, primum in Constantii, deinde Iuliani exercitu militavit. Qui, cum nihil haberet praeter arma et vestimentum quo tegebatur, Ambiáni, pauperi ac nudo, ab eo petenti, ut Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus, dimidiata illa veste induitus, apparuit, hanc mittens vocem: Martinus catechumenus hac me veste contexit.

R. Oculis ac manibus in caelum semper intentus, \*

Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. ¶. Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput eius. Invictum.

#### Lectio V

**D**ecem et octo annos cum haberet, baptizatus est. Quare, relictam militari vitam, ad Hilarium Pictavensem episcopum se contulit, a quo in acolythorum numerum redactus est. Post factus episcopus Turonensis, monasterium aedificavit, ubi cum octoginta monachis sanctissime aliquamdiu vixit. Qui cum postea ad Candaceensem vicum suae dioecesis in gravem febrim incidisset, assidua Deum oratione precabatur, ut se ex illo mortali carcere liberaret. Quem audientes discipuli, sic rogabant: Cur nos, pater, deseris? Cui nos miseros derelinquis? Quorum voce commotus Martinus, ita Deum orabat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non

recuso laborem.

℟. Beatus Martinus obitum suum longe ante praescivit, dixitque fratribus, \* Dissolutionem sui corporis imminere, quia iudicabat se iam resolvi. ¶. Viribus corporis coepit repente destitui, convocatisque discipulis dixit. **Dissolutionem.**

### Lectio VI

**S**ed cum eum in illa vehe-  
menti febre supinum  
orantem viderent discipuli,  
suppliciter ab eo petierunt,  
ut, converso corpore, tantisper,  
dum remitteret morbi  
vis, pronus conquiesceret.  
Quibus Martinus, Sinite me,  
inquit, caelum potius quam  
terram aspicere, ut suo iam  
itinere iturus ad Dominum  
spiritus dirigatur. Instante  
iam morte, viso humani  
generis hoste, Quid, inquit,  
astas, cruenta bestia? nihil in  
me funeste repéries. Ea in  
voce, unum et octoginta  
annos natus, animam Deo  
reddidit, quam Angelorum  
chorus excepit, eosque divi-

nas canentes laudes multi, in  
primisque sanctus Severinus  
Coloniensis episcopus, audi-  
erunt.

℟. Dixerunt discipuli ad be-  
atum Martinum: Cur nos,  
pater, deseris, aut cui nos  
desolatos relinquis? \* Inva-  
dent enim gregem tuum lupi  
rapaces. ¶. Scimus quidem  
desiderare te Christum, sed  
salva sunt tibi tua praemia:  
nostri potius miserere, quos  
deseris. **Invadent. Gloria**  
**Patri. Invadent.**

### IN III NOCTURNO

**Antt ppr et pss ut in Nocturnum**  
**diei 11. nov (7-9).**

¶. Tu es sacerdos in  
aeternum. ℟. Secundum  
ordinem Melchisedech.

Léctio sancti Evangelii  
secundum Lucam.

### Lectio VII Cap. 11,33-36

**I**n illo tempore: Dixit Jesus  
discipulis suis: Nemo lu-  
cernam accendit et in ab-  
scondito ponit neque sub  
modio, sed supra candelabrum,  
ut, qui ingrediuntur,  
lumen videant. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii  
Episcopi

Liber 7 Comment. in Luc. c. 11,  
post initium

**Q**uia in superioribus Ecclesiam Synagogue praetulit, hortatur nos, ut fidem potius nostram ad Ecclesiam transferamus. Lucerna enim fides est, iuxta quod scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine. Verbum enim Dei fides nostra est; Verbum Dei lux est; Lucerna est fides: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit.

**R.** O beatum virum, in cuius transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, \* Omnia que caelstium Virtutum occurrit psallentium exercitus. **V.** Ecclesia virtute robatur, sacerdotes Dei revelatione glorificantur, quem Michaelassumpsit cum Angelis.

Omniumque.

Lectio VIII

**H**aec est lucerna quae accenditur, virtus scilicet nostrae mentis et sensus, ut drachma illa possit, quae perierat, reperi. Nemo ergo fidem sub lege constitutat, lex enim intra mensuram est, ultra mensuram gratia, lex obumbrat, gratia clarificat. Et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad Ecclesiam conferat, in qua septiformis Spiritus relucet gratia, quam Princeps ille sacerdotum fulgore supernae divinitatis illuminat, ne eam legis umbra restinguat.

**R.** Martinus Abrahae sinulaetus excipitur: Martinus hic pauper et modicus, \* Caelum dives ingreditur, caelestibus honoratur. **V.** Martinus epíspopus migrávit a saeculo: vivit in Christo gemma sacerdótum. **C**aelum. **G**loria Patri. **C**aelum.

## Lectio IX

**D**enique lucerna illa, quam matutinis vesper-tinisque tempóribus, ritu veteri Iudeorum princeps sacerdotum solebat accen-dere, velut sub modio sita legis, evanuit; et civitas illa Ierusalem quae in terris est, quae occidit Prophetas, quasi in convalle fletus posita deli-tescit. Illa autem Ierusalem quae in caelo est, in qua militat fides nostra, in illo al-tissimo omnium locata mon-te, hoc est Christo, non pot-est tenebris et ruinis huius mundi abscondi; sed, fulgens candore Solis aeterni, luce nos gratiae spiritalis illum-i-nat.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes: ut in Breviario notat (sine cS Mennae).

Die 21. Novembris

**S. COLUMBAN**

**Abbatis**

**Commemoratio**

Ad Laudes ant: Euge, serve bone.

¶. Iustum deduxit.

## Oratio

**I**ntercessio nos, quassumus, Domine, beati Colum-bani Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum.

Die 25 Novembris

**B. ELISABETH BONÆ**

**Virginis**

**III classis**

**AD MATUTINUM**

**Bened.** Ad societátem.

**Lectio iii**

**E**lisabeth, vulgo Bona nominata, honestis ac piis parentibus Ioanne et Anna Achler, in oppido Wald-see tunc dioecesis Constan-tiensis orta est. Primis adu-lescentiae annis in summa animi simplicitate et morum honestate transactis, hortato-re Conrado Kugelino eius confessario de capessendo Tertio sancti Francisci Insti-tuto cogitare coepit, cui postea in monasterio Reute sese adstrinxit. Hic perfecti-onis iter ferventiore quadam ratione fuit aggressa. Amo-

rem erga proximos, pauperitatem, oboedientiam, afflictionem corporis, castimoniam, abstinentiam, humilitatem mirifice coluit. Iesu patientis amore vehementer incensa, vilissima loci munera hilaris explevit. Supernis pluribus charismatibus Deus sanctimoniam Elisabeth testatam voluit. Ineunte Concilio Constantiensi pro Ecclesia orans abolitionem schismatis et praevidit et praedixit. Sacramentis morti proxima refecta, ad illa verba Evangelii: Et emisit spiritum, quod legi iusserat, septimo Kalendas decembris anno millesimo quatercentesimo vigesimo, aetatis trigesimo quarto, placidissime obdormivit. Cultum publicum eidem a morte indesinenter exhibitum Clemens decimus tertius Pontifex Maximus rite probavit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes ¶. Diffusa est.

Ad Bened. ant. Simile est.

### Oratio

Crescat, Dómine, in nobis passiónis unigéniti Fílii tui afféctus: et beátæ Elisabeth Vírginis imitatióne, eius memória in córdibus nostris iúgiter augeátur. Per eúndem Dóminum.

Et fit com. Sanctae Catharinae Virg. et Mart.

Ad Vesperas ¶. Diffusa est

Ad Magnif. ant. Veni, Sponsa Christi.

Die 26 Novembris

S. CONRADI

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Conradus, Nothingi Constantiensis episcopi discipulus, post huius obitum episcopale munus, sancti Udalrici precibus victus, post triduanum iejunium suscepit, ac magna cum laude administravit. Constantiae non solum plures ecclesias preventibus bene instructas ae-

dificavit, sed etiam xenodochium, quo duodecim perpetuo alerentur pauperes. Multis virtutibus praeditus, maxime orationis studium et iejunii observantiam coluit, propheticō spiritu sanctum Gebhardum adhuc puerum sibi post Gaminolphum in episcopatu successurum praedixit. Cumque ecclesiae suae quadraginta duobus annis sanctissime praefuisset, virtutum laude conspicuus obdormivit in Domino, anno nongentesimo septuagesimo quinto. Sepultus est Constantiae in ecclesia sancti Martini, atque a Callisto secundo Pontifice Sanctorum numero adscriptus.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes ¶. Iustum deduxit.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone.

### Oratio

**E**xaudi, quas sumus, Domine, preces nostras, quas in beati Conradi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: et, qui tibi digne meruit famu-

lari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Et fit com. sancti Silvestri; deinde com. sancti Petri Alexandrini.

Ad Vesperas ¶. Iustum deduxit.

Ad Magnif. ant. Amavit eum Dominus.



